

quippiam contendisse, quod contra fidem, contra jusjurandum, contra rempublicam esset. Nam hoc quidem in talibus viris quid attinet dicere? si contendisset, scio impetraturum non fuisse; cum illi sanctissimi viri fuerint: aequae autem nefas sit, tale aliquid et facere rogatum, et rogare. At vero Ti. Gracchum sequebantur C. Carbo, C. Cato, et minimus tum quidem Cajus frater, nunc idem acerrimus hostis.

Haec igitur lex in amicitia sanciat, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Turpis enim excusatio est, et minime accipienda, cum in ceteris peccatis, tum si quis contra rempublicam se amici causa fecisse fateatur. Etenim eo loco, Fanni et Scaevola, locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus reipublicae. Deflexit enim jam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo majorum. Tib. Gracchus regnum occupare conatus est, vel regnavit is quidem paucos menses. Num quid simile populus Romanus audierat, aut viderat? Hunc etiam post mortem secuti amici et propinqui, quid in P. Scipionem Nasicam effecerint, sine lacrymis non queo dicere: nam Carbonem quoquo modo potuimus, propter recentem poenam Ti. Gracchi, sustinuimus. De C. Gracchi autem tribunatu, quid exspectem, non libet augurari: serpente deinde res, quae proclivius ad perniciem, cum semel coepit, labitur. Videtis in tabella jam ante, quanta sit facta labes, primo Gabinia lege, biennio autem post, Cassia. Videre jam videor populum a senatu disjunctum, multitudinisque arbitrio res maximas agi: plures enim discent, quemadmodum haec fiant, quam quemadmodum his resistatur. Quorsum haec? quia sine sociis nemo quidquam tale conatur. Praecipendum est igitur bonis, ut, si in ejusmodi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existiment, ita se alligatos, ut ab amicis magna aliqua re in rempublicam peccantibus non discedant. Improbis autem poena statuenda est: nec vero minor iis, qui sequuti erunt alterum, quam iis, qui ipsi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Graecia Themistocle? quis